

deterret a fornicatione. Ex quibus colligitur, in hoc actu, dum a Christianis fit, esse peculiarem ingratitude, et irreverentiam in Deum; et consequenter speciem quamdam sacrilegii, latius accepto hoc nomine: unde est multo gravius peccatum in illis quam in ethnicis.

Secundo, Fornicationem non esse gravius peccatum, quam cætera, quæ sunt contra Deum vel proximum, ut recte ostendit D. THOMAS art. 3. Gravitatis enim peccati per se spectatur ex magnitudine boni, cui ipsum opponitur: majus autem est bonum divinum quam humanum; unde peccata, quibus bonum divinum contemnitur, ut ea quæ repugnant directe virtutibus theologis vel religioni, sunt deteriora secundum suam speciem, quam fornicatio, quæ bono humano repugnat. Rursus inter ea, quæ bonum humanum violant, pejora sunt quæ tendunt in nocuum vitæ hominis, quam quæ in damnum fortune; et quæ contra vitam hominis nati, quam quæ contra vitam nascituri; unde infert D. THOMAS: Cum fornicatio ex se tendat ad læsionem vitæ, et quidem certæ prolis, nimirum quæ ex hoc actu nasci potest, est deterior furto, quo solum fortune læduntur: minor tamen est homicidio; quia per hoc læditur vita hominis jam nati, per illam nascituri. Hæc tamen comparatio furti et fornicationis non parum habet difficultatis. Primo, quia furtum est contra justitiam, fornicatio solum contra castitatem: atqui peccatum est eo gravius, quo præstantiori virtuti opponitur, ut constat ex 1. 2. q. 72. art. 4. *Secundo*, per furtum læditur homo jam existens in re actu possessa: per fornicationem nemo proprie læditur; nam proles non est, et nihil ei detrahitur, imo melius est ei sic esse quam non esse... Solum in eo peccatur, quod actus ille careat convenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cujus ordinis carentia est contra castitatem, non contra justitiam: quod signum est non esse proprie læsionem. Ob hæc et alia argumenta Martinus apud Cajetanum tenet contrarium: cujus sententia est etiam valde probabilis.

Nec obstat quod fornicatio in Christianis præ se ferat speciem sacrilegii; quia simile quid etiam in reliquis illorum peccatis invenitur, etiamsi spiritalia sint: sicut enim membra nostra sunt membra Christi, et templum Spiritus sancti; ita etiam spiritus noster est unum cum Christo; (*Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est*, 1. ad Corinth. 6.) et est templum Spiritus sancti.

Tertio, Etsi fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione posse dici maximum; quia hominem maxime detinet, et difficillime superatur; idque propter concupiscentiam homini congenitam, cujus motus sunt maxime importuni. Unde D. ISIDORUS L. 2. de summo bono (al. L. Sententiarum) cap. 39. n. 21. dicit: *Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum*. Et D. AUGUSTINUS, de honestate mulierum cap. 2. (al. in app. serm. 293. n. 2.) *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, et rara victoria; unde præcipua industria in eo collocanda, ut hoc vitium superetur*.

CAPUT III.

DE PARTIBUS TEMPERANTIE POTENTIALIBUS, CONTINENTIA, MANSUETUDINE, CLEMENTIA, MODESTIA, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUID SIT CONTINENTIA.

D. Thom. quest. 155.

155. Nomen *continentia* dupliciter accipitur. 1º. Ut significet virtutem quamdam, qua quis sese ab omni delectatione venerea cohibet; quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, et apud sanctos Patres: nec differt a castitate. Et hac ratione tres continentie gradus a Doctoribus ponuntur, virginialis, vidualis, et conjugalis. 2º. Ut significet firmitatem animi contra impetus passionum. Hanc Aristoteles L. 7. Ethicorum vocat ἐγκράτειαν, et de ea, sicut et de ejus opposito, fere toto eo libro disputat. Hoc modo accipitur in hac questione: et nihil est aliud quam firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, et præsertim venereas, impellitur. Est *propositum*, quia omnis virtus et bona dispositio voluntatis consistit in proposito seu affectu honesti; in hoc enim sita est hujus potentie perfectio: atqui continentia est virtus vel dispositio voluntatis, et in ea sedem suam habet, ut docet D. THOMAS art. 3. Debet autem hoc propositum esse *firmum*; quia alioquin facile concupiscentiæ motibus expugnabitur; sicut in eo qui est incontinens, qui etiam bonum propositum habet, sed infirmum: unde facile suis cupiditatibus cedit.

Isto proposito *se continet voluntas in bono rationis*; quatenus vult inhærere ei quod ratio dicit, nec sinere se impetu concupiscentiæ abripi ad illicita, quorum alterum ex altero sequitur. Ex eo enim quod quis firme alicui rei inhæret, consequens est ut a contrariis non sinat se aliorum abduci. *Contra impetus concupiscentiæ*, etc. Quia hi motus maxime voluntatem ad bona sensibilia contra rationis præscriptum alliciunt; et propensioni naturali, quæ homini ad conservationem individui et speciei insita est, sunt maxime conformes. Itaque in iis, qui nondum virtutem moralem, qua isti motus comprimantur, adepti sunt, præcipue opus fuit quadam dispositione animi, qua voluntas se in bono contineret, ne ab illis ad illicita abriperetur; quam *continentiam* vocamus.

156. *Dices*: Etiam aliæ passiones magnam vim habent voluntatem a rationis præscripto abducendi, ut cupiditas honorum, opum, vindictæ, et similes;

ergo in quibus per virtutes morales illæ passiones nondum sunt compressæ, iis etiam opus est *continentia*, quæ illis resistat, et voluntatem a recto discedere non sinat.

R. Hoc argumento recte probari similem quamdam animi dispositionem contra illos affectus ponendam: hæc tamen non vocatur absolute *continentia*, neque ab ea dicitur quis simpliciter *continens*, sed secundum quid, seu cum restrictione; ut continens iræ, continens cupiditatis honorum, opum, etc. Ratio est, quia istæ passiones neque sunt ita consentaneæ naturali propensione, ut concupiscentiæ delectabilium tactus (unde etiam non sunt tam importunæ et assiduæ); neque hominem ita ad turpia trahunt. Quare in continendo se ab istis non est illa peculiaris laus et difficultas, quæ est in resistendo gulæ, et venereis cupiditatibus.

137. *Petes*, Utrum continentia distinguatur a temperantia, et qua ratione? Videtur enim non distingui, quia versatur circa eadem, circa quæ temperantia, ut docet Aristoteles L. 7. Ethic. cap. 4. et idem officium præstat: nam etiam temperantiæ est, voluntatem in bono honesto continere adversus voluptates.

R. Continentiam absolute dictam non distingui a temperantia, nisi ut imperfectum et inchoatum a perfecto et completo, et sicut dispositio distinguitur ab habitu; ut docet D. THOMAS art. 4. in 0. et Cajetanus in art. 3. *Temperantia* enim consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, per quod passiones jam sunt domitæ, et rationi subjectæ; unde includit, saltem in obliquo, habitum illum appetitus inferioris, quo motus hujus appetitus rationi conformantur. *Continentia* vero est propositum simile, sed quod nondum eo pervenit ut passiones domuerit, et rationi subjecerit: unde adhuc pugnat cum hoste; cum temperantia de illo victoriam obtinuerit, et subjecerit servituti. Quare continens similis est illi, qui feras agrestes cicurandas accepit: temperans ei, qui jam cicuravit. Per temperantiam bonum rationis descendit non solum in voluntatem, sed etiam in appetitum inferiorem: per continentiam, in solam voluntatem. Unde patet, continentiam esse inchoatam quamdam temperantiam. Quod maxime locum habet in sententiâ eorum, qui sedem temperantiæ et fortitudinis faciunt ipsam voluntatem, et has virtutes non pertinere ad appetitum inferiorem, nisi per quamdam extensionem, et veluti ramum sui.

Hæc tamen non sic intelligenda sunt, quasi temperans nullos amplius concupiscentiæ motus patiat (hoc enim non est hujus mortalitatis), sed quod rarius patiat, et ordinarie non tam vehementes: est enim intrinsecus multo melius compositus quam continens; tum quia habitus voluntatis est firmior; tum quia præter hunc includit habitum appetitus inferioris, per quem, compressis passionibus, appetitus iste rationi subijcitur. Hinc fit ut ab intrinseco non possint magnæ passiones exurgere. Hæc tamen interdum excitari possunt a causa extrinseca; ut a dæmone, humores et spiritus commovente, et objectum delectabile assidue phantasie proponente: quo casu virtus temperantiæ sese exeret, et munus continentie præstabit, perfectiori tamen modo quam ipsa.

Quod attinet ad continentiam secundum quid, quæ circa alias passiones versatur, hæc eodem modo se habet ad virtutes illarum passionum mode-

ratrices, sicut se habet continentia simpliciter dieta ad temperantiam. Itaque continentia iræ nihil est aliud quam inchoatio mansuetudinis: continentia cupiditatis honorum vel opum nihil est aliud quam inchoatio magnanimitatis, magnificentie, liberalitatis; ut aperte colligitur ex D. THOMA, et Cajetano, art. 2. Eadem enim virtutes, quæ, ubi completæ fuerint, appetitum inferiorem rationi subjectum et passiones compressas tenent, jam primum inchoatæ et quasi in cunabulis constitutæ passionibus nondum edomitæ resistunt, et voluntatem in bono rationis adversus illas continent, idque ejusdem honesti amore.

138. Ex dictis intelligi potest, utrum continentia sit dicenda virtus. Si enim virtus dicatur habitus complete potentiam circa aliquam materiam (v. g. circa passiones) perficiens; continentia non tam est virtus, quam virtutis inchoatio et rudimentum. Unde Aristot. L. 4. Ethic. cap. ultimo in fine, dicit *continentiam non esse virtutem, sed quiddam virtutis habere admixtum*. Nimirum quia voluntatem quidem rationi conformat, sed appetitum inferiorem, contra quem pugnat, rationi non subijcit, et ita a perfectione virtutis moralis deficit. Si tamen nomen virtutis accipiatur communius (ut passim solet) pro dispositione animi ad opus recte rationi consonum, seu pro principio laudabilium operum, ut inquit D. THOMAS, sic continentia est virtus: disponit enim voluntatem ad rationis dictamen sectandum, et passionibus repugnandum, quod est honestum et laude dignum.

Notandum tamen est, *continentiam* posse constitui virtutem quamdam generalem (non essentia et attributione, sed objecto et extensione) qua voluntas bono rationis in genere contra quaslibet passiones inherere decernit: illud enim objectum habet quamdam communem rationem honesti per se expetendam, ac proinde potest constituere virtutem, atque adeo certam virtutis speciem: affectus enim et propositum voluntatis ex ordine ad tale objectum certam speciem contrahit; et hæc virtus ex eo quod voluntatem in bono honesto contra passionum illecebras et impetus continet, recte continentia dicitur. Quamvis hoc nomen præcipue ei conveniat, quantum delectationibus tactus resistit. Hoc modo videtur explicari continentie ratio a Martino; sed non ex mente Aristotelis, ut recte ostendit Cajetanus art. 2.

Neque hic modus est consentaneus praxi: non enim solent homines ex nudo illo et generali motivo honesti passionibus resistere; sed ob particularem aliquam boni honesti rationem, quæ pro diversitate materie se offert.

DUBITATIO II.

QUID SIT INCONTINENTIA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quest. 136.

139. *Incontinentia*, ut opponitur continentie supra explicatæ, est, quando passio, præsertim ea quæ versatur circa delectationes tactus, vincit rationem, usu rationis manente. Dico, *rationis usu manente*: dupliciter enim passio rationem vincere potest. 1º. Si adeo sit vehemens, ut iudicium

rationis impediatur, et consequenter moralem libertatem adimat: sicut fit in iis qui amore fiunt amentes; quo casu non est proprie incontinentia. Sicut enim bestiae non dicuntur *incontinentes*: ita nec illi, qui rationis usum amiserunt, quantumvis turpia committant. Confirmatur, quia *incontiens* est, qui non continet se in bono rationis, cum possit et debeat: atqui talis non potest; ergo, etc. Dicitur enim incontinentia quasi per privationem continentiae: privatio autem locum non habet nisi ubi et quando habitus adesse deberet. 2°. Si rationis usum non tollat; et tunc locum habet *incontinentia*, si voluntas passionem sequatur. Ratio est, quia manente rationis usu, semper potest homo passionibus resistere, et in rationis praescripto se continere, quantumvis illae vehementes fuerint; ut recte docet D. THOMAS q. 156. art. 1. Si potest, ergo debet: si debet continere et non facit, iam est incontiens: deest enim continentia, ubi et quando debebat inesse.

Porro dupliciter passio rationem vincit, manente rationis usu; ut colligitur ex Aristotele L. 7. Ethicorum cap. 7. et D. THOMA art. 1. *Primo*, si impetu suo rapiat ad se voluntatem, priusquam ratio consultet, aut exactius deliberet; et haec vocatur effrenata concupiscentia, et incontinentia. Accidit autem hoc vel ob passionis celeritatem, ut in cholericis; quia humor iste ob tenuitatem et calorem facilis est moveri et accendi: vel ob illius vehementiam, ut fit in melancholicis, qui ob siccam et terrestrem constitutionem vehementem accenduntur. In huiusmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque sinit negotium ratione expendi, sed statim cedit; satis tamen in confuso advertens malum esse quod proponitur. *Secundo*, si voluntas tenuiter bono rationis inhæreat: tunc enim etsi passio magnum impetum non habeat, facile tamen voluntatem ad se trahit; ut fit in mulieribus, et iis quorum constitutio mollior est et feminea: ut sunt phlegmatici, teste D. THOMA art. 1. ad 2. et Aristot. supra.

160. *Petes*, Quomodo passio potest vincere rationem, manente rationis usu, quo res iudicatur esse illicita.

R. Rationem non ita vinci quin possit resistere; et ideo merito illi impulari, quod se vinci sinat, vel potius quod sponte cedat et consentiat. Passio enim solum allicit, blanditur, et suadet per modum propositionis objecti; facit enim ut objectum appareat valde suave et conveniens homini. Hinc per sympathiam potentiarum intellectus simili modo illud apprehendit, et voluntati proponit. Et quamvis ex altera parte iudicet illud esse illicitum, nihilominus quia apprehensio delectabilis est vehementior magisque sensibilis, ac naturalis, et ex ratione illiciti non cernitur praesens periculum, vincit ista apprehensio, et voluntati persuadet ut delectabile hic et nunc honesto praeponat, passionique consentiat. In potestate tamen voluntatis erat se continere, et illam delectationem contemnere, tum quia satis per rationem advertit esse illicitam, tum quia minime sibi necessariam.

161. Ex his colligitur. 1°. Incontinentiam esse peccatum; tum quia turpe est rationem vinci a passione, et voluntatem deserere bonum rationis, ut inhæreat bono delectabili; tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quae homini cum brutis sunt communes; unde etiam hoc vitium peculiarem turpitudinem continet; ut docet D. THOMAS art. 2. et Aristoteles

L. 7. Ethic. cap. 8.; est autem mortale vel veniale pro ratione materiae. 2°. Incontinentiam caeteris paribus esse minus malum quam intemperantiam. *Primo*, quia *intemperans* non peccat ex passione, sed spontanea electione, et propriae voluntatis malitia: *incontiens* vero ex impulsu passionis, tanquam ab intrinseco contra suam voluntatem incitatus: nam et ante et post passionem voluntati displicet opus, eoque commisso statim poenitentia ducitur. *Secundo*, *intemperans* habet intellectum prave dispositum quoad iudicium objecti (non enim reputat illud inhonestum, vel certe parvi aestimat, tanquam exiguum malum), et voluntatem prave dispositam habitu vitioso, et appetitum inferiorem similiter: *incontiens* vero iudicium habet rectum et voluntatem rectam extra passionem, et appetitum inferior non est adeo corruptus. Nec refert quod incontiens saepe vincatur; ex actibus autem frequentatis nascatur habitus: quia etsi dum labitur, aliqua prava dispositio voluntati et appetitui inferiori per actus praves veluti affricetur; hoc tamen paulo post displicentia et dolore commissi abstergitur, ut in habitum solidum non facessat. Denique intemperans multo difficilius emendatur quam incontiens, propter iudicii et voluntatis inolitam longa consuetudine perversitatem. 3°. Incontinentiam concupiscentiae plus habere probri et dedecoris, quam incontinentiam irae; turpius enim est a voluptatibus quam ab ira superari: idque propter quatuor rationes, quas profert Aristoteles L. 7. Ethic. cap. 6. et D. THOMAS art. 4.

Prima est, quia motus irae habet aliquam speciem et imaginem rationis (offert enim se vindicta menti specie iustitiae); sed in eo deficit, quod modum, qui a ratione praescribitur, non attendat; sicut veloces famuli, qui simul atque dominum aliquid imperantem audiunt, anticipant, et priusquam totum imperium perceperint, ruunt ad executionem. Motus autem concupiscentiae nullam habet rationis speciem, sed totus est secundum sensum, totus mollis, femineus, carnalis, ad hoc solum tendens ut carni et sensualitati serviatur.

Secunda, quia motus irae magis sequitur corporis temperamentum, et humoris conditionem, propter cholerae (quae huic passioni servit) tenuitatem et calorem. Hinc enim fit, ut posita apprehensione injuriae, humor biliosus statim effervescat, et concitetur ad vindictam: concupiscentiae vero deservit sanguis et pituita, quorum motus lentior, nec ita accenduntur. Itaque motus irae magis est venia dignus quam concupiscentiae, qui non ita ratione corporalis dispositionis concitatur.

Tertia, quia ita quaerit manifeste operari, quasi in opere nihil sit dedecoris; concupiscentia vero quaerit latebras, veluti conscia suae turpitudinis.

Quarta, quia concupiscentia quaerit voluptatem superfluum; ira vero repellit malum immeritum. Plus autem habet excusationis qui in malo a se depellendo modum rationis excedit, quam qui in voluptate superflua adsciscenda.

Incontinentia tamen irae plus habet periculi, propter malum proximi, ad quod irrogandum ita prosilit; hinc enim seditiones, bella, caedes, incendia, et tota fere generis humani turbatio; unde ut plurimum incontinentia irae absolute est gravior.

DUBITATIO III.

DE MANSUETUDINE.

D. Thom. quest. 157.

162. *Mansuetudo*. (quæ græcis *πραότης* et *ἡπιότης* dicitur) est virtus irarum moderatrix: vel, ut Glossa in cap. 5. Matthæi explicans illud, *Beati miles*, ait: *Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo*. Sicut enim temperantia moderatur cupiditates delectationum gulæ et veneris, appetitum inferiorem ita rationi subjiciens, ut etiam oblatiis occasionibus non plus quam par est concupiscat: ita *mansuetudo* moderatur iram, subjiciens rationi appetitum inferiorem, ita ut oblatiis irritantibus, in motum iræ non prorumpat, vel saltem justum modum in eo teneat. Proxima igitur materia hujus virtutis est ira, cui modum a ratione præscriptum veluti formam quamdam imponit; nimirum, ut irascamur quando, et cui oportet, quam ob causam, quantum, et quomodo oportet; et cum non ita irascendum, iram omnino comprimamus.

Hæc virtus multis locis commendatur in Scripturis, ut Ecclesiastici 10. *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum*. Psal. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis*; et Matth. 5. *Beati miles, quoniam ipsi possidebunt terram*.

DUBITATIO IV.

DE IRA ET IRACUNDIA.

D. Thom. quest. 158.

163. Mansuetudini, sicut et aliis virtutibus, quæ passiones moderantur, duo vitia opponuntur; *ira* vel potius *iracundia* (quæ actum et habitum vitiosum irascendi designat) per excessum, et *lenitudo* per defectum. Ira per se nec bona est, nec etiam mala, sed quiddam indifferens, quo bene et male uti possumus; sicut et reliquæ passiones. Malam non esse vel ex eo constat, quia naturæ est apprimere utilis ad ardua facta, et ad sui conservationem. Sicut enim passio amoris data est homini ad boni prosecutionem; ita passio iræ ad repulsionem malorum et nocentium, ne ea in re natura sit torpida, et languida. Itaque habet eum locum in homine, quem miles in Republica. Unde pulchre Nemesius L. de natura hominis cap. 21. dixit, *ἔτι ὁ θυμὸς τὸ δόρυφορικόν ἐστὶ τοῦ λογισμοῦ, iram esse satellitium rationis*. Nec obstat quod rationem turbet, et sanum consilium ad iudicium de rebus impediatur; quia non debet excitari nec adhiberi nisi post consilium; nimirum quando veniendum est ad executionem: sicut miles non adhibetur nisi post senatus vel principis decretum; sed jubetur quiescere, donec accersatur ad opus. Deinde ira nihil est aliud quam appetitio vindictæ: atqui vindicta bona est, si debito modo fiat.

164. Erit peccatum, si modum a ratione præscriptum non servet, et tunc dicitur proprie *iracundia*, quam Aristoteles vocat *δργιλότης*, distinguens eam a simplici ira, quæ *δργή* dicitur. Dupliciter autem fieri potest ut ira præscriptum rationis non servet:

1^o. Ex parte objecti, si injustam vindictam appetas; ut ob causam non legitimam, vel majorem quam oportet, vel absque publica auctoritate exequendam. Et hoc modo ex genere suo est peccatum mortiferum; quia contra proximi charitatem et justitiam. Potest tamen esse veniale ob imperfectionem actus, quæ spectatur vel ex parte voluntarii, ut cum motus iræ perfectum rationis iudicium prævertit; vel ex parte objecti seu materiæ, ut cum quis modicam vindictam appetit; v. g. si parum trahas puerum per capillos, ut inquit D. THOMAS: modicum enim instar nihili reputatur. Nec obstat quod ex genere suo dicatur mortifera; quia hoc intelligendum de actu perfecto tam ex parte voluntarii quam ex parte objecti, ut recte explicat Cajetanus; nimirum ut actus sit ex pleno iudicio rationis, et objectum sit notabilis quantitatis: hoc enim modo accipiendus est actus, cum ex genere suo dicitur mortalis vel venialis.

2^o. Potest præscriptum rationis non servari ex parte ipsius motus; ut si nimium interius ira exardescas, vel exterius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo non est quidem ex genere suo mortale, potest tamen esse mortale, vel ratione affectus et præparationis animi, quam inducit; ut si tantum ira accendaris, ut paratus sis aliquid facere, quod sit peccatum mortale: vel ratione scandali; ut interdum accidere potest in prælatis, vel iis qui in infidelibus convertendis occupantur.

165. Dices: Omnis ira videtur esse peccatum mortiferum; nam Dominus Matth. 5. generatim dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*. Quibus verbis significatur, illum mereri condemnationem mortis, nimirum æternæ: nam *reus iudicio* Hebræis dicitur, qui dignus est condemnatione, puta mortis: illa enim est præcipua, et absolute dicitur condemnatio, et iudicium: unde translata ad tribunal Dei, designat damnationem æternam.

R. Dominum ibi loqui non de omni ira; sed de ea, quæ tendit ad homicidium: complet enim illud præceptum, *Non occides*; addens, non solum externum homicidium esse peccatum mortiferum in iudicio divino, sed etiam occultam iram, qua quis proximi mortem optat: ut recte D. THOMAS art. 3. ad 2.

De eadem ira intelligendum id, quod sequitur, *Qui dixerit fratri suo raca, qui dixerit fatue*, etc. nimirum ex ira, qua mortem illius desiderat: ut idem D. THOMAS art. 5. ad 3.; ponit enim Dominus tres gradus ad homicidium. *Primus* est, ira interna optans mortem proximi. *Secundus*, eadem ira prorumpens in contumeliam, sed leviolem. *Tertius*, eadem erumpens in contumeliam gravem. In quarto est ipsum homicidium, et quodlibet aliud grave nocumentum.

166. Ut autem quale sit peccatum iræ, melius intelligatur, notandum est, illud per se minus esse peccatum, quam odium vel invidiam, ut docet D. THOMAS art. 4. *Oidium* enim appetit malum proximi, quia malum, et eo duntaxat sine ut ei sit male; illi enim male esse apprehendit tanquam suum

bonum. Hinc fit ut nulla mali mensura satiatur; quia quæ per se appetuntur, sine mensura et termino appetuntur; sicut avarus appetit divitias, et voluptuarius delectationes sine termino. *Ira* vero appetit malum alterius sub ratione justæ vindictæ: nimirum, ut qui offendit, sentiat et doleat se male fecisse, et ita fiat compensatio. Unde non appetit malum alterius nisi secundum certam mensuram; nimirum ad æqualitatem injuriæ, ut pœna sit commensa culpæ; cujus signum est, quod si vindicta hanc mensuram excēserit, ira vertatur in misericordiam. Itaque spectat in objecto imaginem quamdam justitiæ, ut justitiam vindicativam imitari videatur. Sicut enim hæc appetit malum proximi sub ratione justæ vindictæ; sic ira sub specie et imagine justæ vindictæ: sed in eo est discrimen, quod justitia illa regatur vera prudentia; ira non vera, sed imagine duntaxat prudentiæ: unde etiam in objecto non spectat veram rationem justæ vindictæ, sicut justitia vindicativa; sed speciem tantum justæ vindictæ. *Invidia* dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obscurare. Unde desiderat illi malum, nempe illius boni privationem, ut suam existimationem et excellentiam illibatam conservet; ac proinde affectu proprii boni movetur. Unde patet, *invidiam*, quæ non appetit alteri malum ut ei sit male, sed ut sibi sit bene, esse minus quidem malum quam *odium*, quod solum appetit ut alteri sit male; majus tamen quam *iram*: nam iram spectat imaginem justitiæ; et omnis irascens justam causam iræ suæ præterdit, quæ se excuset. Unde etiam judicio generis humani minus probrosa aut inhonesta quam invidia, quæ nullam justitiæ vel honesti speciem præfert. Ob eandem causam ira censetur honestior; seu minus dedecorosa quam concupiscentia, ut supra dubit. 2. n. 116. dictum est.

167. *Notandum I.* Etsi ira ex parte objecti formalis sit minus mala vel minus dedecorosa quam odium, invidia, et concupiscentia; tamen ex parte modi, cum quo fit, habet præ reliquis passionibus peculiarem quamdam inordinationem. 1^o. Quia maxime rationem perturbat. 2^o. Quia maximum in agendo habet impetum. 3^o. Quia corpus maxime immutat, adeo ut hominem furiosæ belluæ similem efficiat. Unde Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati ferre quis poterit?* Et GREGORIUS L. 5. *Moralium* cap. 31. (al. c. 45. n. 78.) *Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.* Et infra: *Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremil, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti: ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est?* etc. Ratio est, quia sicut amor, desiderio et gaudio deservit sanguis; odio, timori, tristitiæ melancholia; ita bilis deservit iræ. Hæc enim, motu iræ insurgente, statim effervescit, et concitatur, tanquam in malum præsens factura impetum. Motus enim spirituum et humorum respondent motibus animorum, propter mutuam corporis et animæ consensionem, et illius ad hæc naturalem subordinationem. Rationem igitur perturbat, non solum, ut aliæ passiones, faciendo objectum aliter quam in se sit, apprehendi; sed etiam, quia suo calore spiritus accendit, et commovet:

qui tamen ut functionibus mentis sint idonei, debent esse temperati et tranquilli; deinde quia nimium calefactis humoribus fumi excitantur, qui caput opplent et offuscant. Dat impetum passioni, ratione caloris et incitationis: sicut enim passio bilem concitat, ita vicissim bilis concitata passionem auget per quamdam sympathiam, mediante tamen imaginatione, qua res vehementius apprehendatur; denique corpus immutat, quia calidissima: unde accendit spiritus et sanguinem, et simul cum illis veluti foras contra malum ruitura, exterius, in vultu præsertim et oculis, sese prodit.

Notandum II. Ab Aristotele L. 4. *Ethic.* c. 5. poni quatuor species seu modos iræ; etsi D. THOMAS art. 5. tres solum enumeret, secutus in eo GREGORIUM Nysseum, vel potius Nemesium L. de natura hominis cap. 21. et DAMASCENUM L. 2. *Fidei orthodoxæ* cap. 16.

Prima est eorum, qui simpliciter dicuntur *iracundi*, Aristoteli *δργίλοι*, qui celeriter irascuntur, et quibus non oportet, et quam ob causam non oportet, et vehementius quam oportet, sed paulo post placantur.

Secunda est eorum, qui dicuntur *ἀκρόχοι*, id est, *summe iracundi*, qui celerrime, ad omnia, et ob quamvis causam iracundia exardescunt. Hi duo modi fundamentum habent in temperamento bilioso, et in copia humoris biliosi, ejusque fervore, et tenuitate. Hinc enim provenit illa celeritas irascendi ad minimas quaslibet occasiones. Hi, juxta GREGORIUM L. 5. *Moralium* capite 32. (al. c. 45. n. 80.) *Accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, et citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favillam frigesunt.*

Tertia est eorum, qui dicuntur *πιερόχοι*, quasi dicas, *amarobilarii*, qui postquam excanduerint, propemodum sunt implacabiles; cujus ratio est, quia cum laborent humore melancholico, diu tristitiam ex offensione conceptam retinent; et consequenter retinent iram, quæ tristitiæ quærit medicinam: tollitur autem illa tristitia, vel temporis tractu concocta et evanescentes, vel vindicta obtenta: utrumque enim, et tempus et ultio, est tristitiæ illius medicina. De his intelligi potest quod ait GREGORIUS supra: *Alii lignis gravioribus durioribusque non disparet, accensionem tarde suscipiunt; sed tamen accensi semel, difficiliter extinguuntur: et quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem servant.*

Quarta est earum, qui *χαλεποί*, id est, *sævi et difficiles*, qui nunquam placantur, nisi injuriam ulti sunt: non propter tristitiam, ut isti priores; sed quia imaginationem in ultionem defixam habent. His recte aptaveris illud GREGORI: *Alii, quod nequius est, et citius iracundiæ flammam accipiunt, et tardius deponunt; quamvis et hoc interdum in prioribus, nimirum *πιερόχοις*, locum habeat.*

In prima igitur et secunda specie est inordinatio, ratione nimie celeritatis, qua fit ut rationis præscriptum non expectetur: quæ celeritas in prima est major quam oportet, sed non summa: in secunda est summa, seu in summo gradu. In tertia et quarta specie est inordinatio ratione diurnitatis, quæ in tertia quidem provenit ex tristitia, in quarta ex vehementi imaginatione vindictæ.

Nemesius loco citato tres iræ species constituit. *Primam* vocat *δργήν* et *χολήν*, quam *excandescitiam* vocare possumus: estque nihil aliud quam ira, principium et motum habens. Hæc *primam* et *secundam* speciem Aristo-